Q. F. S. F. Q. I. D. O. M.

DISSERTATIO JURIDICA DE RECONVENTIONE,

Quam

Ex Suffragio & Comprobatione Ampl. Fac. Jur.

In florentissimo ad Auram Musarum Palladio,

Sub UMBONE,

Amplissimi & Consultissimi VIRI,

Dn. MATTHIÆ SWEDERI,

Utriusque Juris Professoris Ordinarii Regii,
Præceptoris & Promotoris maxime
suspiciendi,

Publico examini modestè submittit

LIBORIUS LIB. BÄUMGARDT,
Junecop: Smolandus.

In Acroaterio Maximo, die 13 Julij Anni
M. DC. XCIII

ABOÆ, Impr. apud Joh. L. Wallium.

Ad Virum

Ingenio, Eruditione, & Humanitate Sincerà commendatiſſimum,

Dn. Liborium Baumgarde/

Junecopiâ Smolandum,

De RECONVENTIONE Judiciali Diſſertatione publicâ ſolerter diſceptantem, Amicum ſingulariter dilectum,

ΣΥΓΧΑΡΜΑ.

Talio, qvæ priſcum ſat decantata per ævum,
In pœnis variis, imò & contractibus, olim
Invaluit, qvoqve multa ſui veſtigia ſparſit.
Hinc in Judiciis, ſi qvemqvam læſerit alter,
Qvà famam impenſasve graves, qvà cõmoda cauſæ,
Jura Reconventum permittunt; vindicet illud
Ut ſic ſuccumbens, illum quo læſerat alter.
Rectè igitur BAUMGARTUS agit, cum Legibus almis
Impendit ſtudium, Proceſſus abdita ſpectans
Dogmata, qvæ praxin Juris formantq; reguntque.
Gratulor ipſe tuis conatibus usque probandis,
BAUMGARTE, & tibi fauſta vovens, & tempora longa
Vitæ, & lætitias demum ſuper axe perennes!

Pauca iſta, L. tamen Mꝰ

ſcripſit

PETRUS LAURBECCHIUS, SS.Th.
& Profeſſ. Ordinarius.

Eximie & Ornatissime Dn. BAUMGARDT/ hujus Dissertationis Auctor:

EAferè est hominum malitia atqve improbitas, ut non ultro id ipsum, qvod aliis debent, præstent restituantqve. Sæpè qvippe, pro beneficiis qvibus affecti sunt, reddunt molestias, & pro pecunia, qvam mutuo acceperunt, inania in solutum dant verba. Itaqve, ne singuli nimium sui sæpè amantes, qvod jus putant, id manu exeqvantur, prudentissimè & maximo humanæ societatis bono, certa Juris introducta sunt remedia, qvibus unusqvisqve ab alio, qvod sibi debetur, sine tumultu, sine vi privata, conseqvi possit. Judiciorum enim vigor, & publici Juris tutela hoc ipsum impediunt, qvæ propterea, teste Qvintiliano, sunt constituta, ne qvisqve sui sit vindex & judex. Qvid enim a bellica confusione pax tranqvilla distaret, si per vim litigia terminarentur? Vis qvippe & tunc dicitur, qvoties qvis id, qvod deberi sibi putat, per judicem non reposcit. Sed cum reposcendi rationes, qvæ aliàs *Actiones* vocantur, & variæ sint, & scitu dignissimæ, non possum non conatus tuos, EXIMIE DN. RESPONDENS, commendare, qvi in his, & qvidem intricata materia de RECONVENTIONE, vires ingenii voluisti exercere. Qvam licet breviter, tam laudabiliter tamen explicuisti, ut propterea & Tibi & Parentibus tuis honoratissimis, imo etiam patriæ gratuler, nacturæ propediem civem, officii sibi commmissi partes egregiè obiturum, Vale. Scrib. P. P. Aboæ 11. Julii 1693.

MATTHIAS SWEDERUS.

In Nomine JESU Christi!

CAPUT PRIMUM.

§. I.

Mihi, non aliter ferè qvam Heröi Herculi, locum præclariſſimorum Poëtarum mendacio facienti, olim evenit, nunc evenire video. Qvi cum in abdiſſimarum ſilvarum ſyrtibus eſſet implicatus, viſuque monſtra terribiliſſima ej ſeſe obtuliſſent, hæc licet viſum ſaltim fruſtrarentur, tantum tamen horrorem injicere, ut haſtam abjiceret. Qvid qvæſo mihi eventurum credis? qvi rudi crenâ exaro, & ſub vexillis Minervæ qvaſi miles nuperrimè conductus milito, anteaqve in diſcrimine rerum nec ſum verſatus, nec armis, aut ſcuto inſtructus. Vix primis, ut ajunt labris, ſuccum Philoſophicum me deguſtaſſe lubens atq; ingenuè fateor; magnam præterea ingenii imbecillitatem a teneris ungviculis fovi, & nihilominus de ſatis intricata ac ardua Reconventionis Materia acturus,

in arenam disputatoriam descendere non dubito. Qvæ omnia cum considero & qvantum discrimen subeo, exactius reputo, non immeritò hebescit animus, langvescit mens, torpescunt sensus. Qvid ergo est faciendum mihi? Non existimo cum Hercule hastam vel propterea esse abjiciendam, sed animum potius obfirmandum; in re qvippe ardua aliqvid tentare, eamqve pro modulo ingenii illustrare, hoc non sua cariturum laude.

§. II.

Propius ergo ad institutum nostrum nos accingamus; qvod ut felicius succedat, omnem, qvantum fieri poterit, movebimus lapidem, ut rectæ Philosophantium usitatæque insistamus methodo. Itaque cum existentiam hujus materiæ, Reconventionemqve dari ac legibus introductam, neminem sanæ mentis inficias iturum, inque dubium revocaturum speramus; Ab ipsa Onomatologia ad Pragmatologiam fiet progressus. Et cum circa illam tria, secundum logicos, veniunt perpendenda: 1. Naturam & indolem Etymi indagabimus, hoc enim cognito, melius in cognitionem seqventium perveniemus. Deprehendimus ergo *Reconventionem* descendere, qvod nec qvemqvam latere existimo, â Præpositione inseparabili, juxta Grammaticos, *re* & verbo *Convenio*, qvod varias admittit significationes, uti apud ipsos Lexicographos videre est, qvod nobis negotium non facessat, omnibus qvippe & singulis obvium; nec illis, qvæ ulteriori explicatione non indigent diu inhæreamus, ne tædium ac nauseam legentium animis creemus.

§. III.

§. III.

Alterum, qvod ſecundum logicos circa Onomatologiam perpendendum erit, eſt Homonymia, qvæ variis acceptionibus & ambiguitatibus vocem involvit. Nos brevitati ſtudentes paucas enumerabimus noſtro inſtituto propiores. Vocabulum itaque *reconventionis* accipitur 1. *generaliter & latè*, pro qvacunque reconventione. 2. prout jure civili, & communi ſcilicet Romano, & Canonico eſt permiſſa. Deniq; accipitur *ſtrictè* prout hoc vel illo jure municipali eſt recepta. ſic verbi gratia, Reconventio in foro ſaxonico, differt â reconventione juris communis; nam juxta hoc pari paſſu ſimultaneoq; proceſſu cum conventione ambulat, ſecus ac in locis, ubi jus ſaxonicum eſt uſitatum; ibi qvippe finita conventione tum demum inſtituitur reconventio. Qva de re poſtmodum; pluribus erit agendum.

§. IV.

Homonymiam, excipit 3. in Onomatologia, ipſa ſynonymia. Dicitur autem actio conventioni Actoris qvaſi oppoſita, *Mutua actio & petito. tot. tit. x. de mut: pet. l. 34. de Procur. l. 11. §. 2. de jurisd. l. 22. ff. de Judic. l. 6. Cod. de Compenſ.* Vocatur qvoque *Compenſatio.* vide excellentiſſ: Jurisconſ. Benedictum Carpzovium Jurisp. forenſ: Romano ſaxonicæ *Part: 1. Conſtit: VII.* & *Definit:* XXV. licet latius patet reconventio. Nam qvi compenſare vult debitum fatetur, non autem qvi reconvenit, id ſcilicet, ob qvod adverſarium reconvenit. Adeoque licet compenſatio potius dicitur ſolutio, qvam reconventio, nec ab una ad aliam ſemper inferre licet:

Attamen res eodem recedit. Germanicê dicitur Widerklage/ qvomodo ſvetice in concreto vice verſa Käranде / uti ex ſententiarum rubricis patet. Præmiſſa ita plenioris evidentiæ ergo nominis explicatione, recto tramite, ac juxta Methodum in Philoſophia receptam ad Definitionem tranſitum facimus. Exhibet vero nobis illam Excellentiſſimus juris conſultus Benedictus Carpzovius, Iurisprud: Forenſ: Rom: Saxo: Part: 1. Conſtit: VII: Def: 1. hunc in modum; *Reconventio eſt rei conventi adverſus Actorem, durante conventionis judicio, ſub eodem judice inſtituta, pariqve paſſu agitata actio. Pari paſſu*, inqvit, *agitata actio*, jure ſcilicet communi; Nam jure Saxonico diverſum obtinet, ceu §. 3. ſupra dictum eſt. Hanc ipſam definitionem eſſe commodiſſimam cenſemus, qvà genus & differentiam.

§. V.

Qvod enim attinet ipſam differentiam ſpecificam, conſiſtit ea in hoc, ut pariter cum actione, ſive conventione Actoris terminetur reconventio, & lites amputentur. Sciendum ergo erit 1. diverſas cauſas ventilari poſſe in judicio conventionis & reconventionis, modo hoc non reperiatur nominatim prohibitum, aut conſvetudini, qvæ legem imitatur, repugnare. 2. ſimul ac pari paſſu ambo judicia agitari, ex natura correlativorum, qvæ ita ſunt connexa, ut inter ſe pari paſſu, & ordine conjunctim procedere debeant; ita tamen ut conventio Actoris, ceu primi & principalis litigatoris, per ſingulas judicii partes, primo loco, mox reconventionis negotium tractetur, & tandem utrumqve una definiatur ſententia. 3. In eodem

qvo

qvoqve judicio, ac coram judice eodem utramqve ventilari cauſam: ſiqvidem Actor reconventus non poteſt uti exceptione incompetentiæ, aut jus domicilii allegare. vid. Carpzovius d: l.

§. VI.

Jam ex methodo præſcripta, cauſa reconventionis inveſtigandæ veniunt, qvarum cum ducit agmen, vel primum ſortita locum, Cauſa Efficiens, de illa primo videamus. Non autem opus habemus longè divagari ſolicite inqvirendo, qvænam ſit cauſa illa Efficiens; conſtat qvippe eam ipſi Ligislatori adſcribendam eſſe, cujus eſt leges & jura præſcribere. Incumbit vero ipſi Legislatori in legibus ſanciendis, ut clare atqve perſpicuè ſuis demonſtret ſubditis, ut earum ſcilicet, legum cognitionem ſibi comparare poſſint, utqve conſtet qvæ jura in illo, & qvæ in hoc foro obſervari atqve tractari debeant. Et qvoniam de cauſa Efficiente Reconventionis hoc in paragrapho agimus, ex ea occaſione nobis placet, ſummæ Majeſtatis officii & Poteſtatis in legibus potiſſimum ferendis, prolixiorem facere mentionem. Summæ poteſtati igitur competit poteſtas ferendarum legum: in legibus enim ſalus reipublicæ, *Ariſt L. 1. Cap. 4. Rhetor. & Lib: 4: Cap. 14. Politic:* Qvod ita intelligendum; ſummus Princeps in republica poteſt ſuis ſubditis leges præſcribere pro arbitrio, abſque aliorum conſenſu, ſi ſcilicet nulla ratione ipſius eſt reſtricta poteſtas. Qvando vero, inferiores Magiſtratus in uſum Civium condunt ſtatuta, hoc ſaltem ſit ſummi Principis permiſſu, qvi poteſt ea abrogare, eadem confirmare, aut liberè circa ea diſponere. Leges porro omnino in benè conſtitua republica ſunt neceſ-

ceſſariæ. Nam floccipendimus illorum ſententiam, qvi exiſtimant, potius ſecundum rationem vivendum eſſe, ſepoſita omni legum Civilium conſtitutione. Uti de Scythis narrat Hiſtoricus Iuſtinus. L. 2. Cap: 2: *Qvi ignoratione vitiorum plus profecerunt, qvam Græci cognitione virtutis:* Et de antiqvis Romanis Commemorat Saluſtius in Catilin: Cap: 9: cum ait: *Jus bonumque apud eos non legibus magis qvam natura valebat.* Prætera ſummæ poteſtatis officium eſt, ut legis tanquam virtutis armatæ poteſtate utatur, ut unusqvisque officio ſuo defungatur. Qvod niſi fieret, ſed unicuiq; liberum eſſet agere pro ſuo lubitu, ne ad breve qvidem tempus Respublica, ſeditionibus carere poſſet. Nam ut in legum obſervatione reipublicæ ſalus conſiſtit, ita in earum transgreſſione & contemtu pernicies reipublicæ poſita eſt, teſte Loccenio Lib. 1. c. 7. *de Ordin. Republ.* Ex his itaq; in medium prolatis, percipimus, ſolius Majeſtatis eſſe, in Republica ferre leges & jura; qvorum omnis obligatio ex arbitrio Ejusdem dependet, unde etiam tam diu valent, qvam diu Majeſtati placet. Ut vero diu valeant, conſtitutæ leges, Majeſtati Civili curare incumbit, ut ſalus Reipublicæ conſervetur; ideo aliter fieri non poteſt, qvam ut legibus utatur tanqvam mediis ad obtinendum pariter & conſervandum finem. Patet deniqve, qvod nam ſit fundamentum poteſtatis Legislatoriæ ſcilicet imperium in cives. Qvo ſi deſtitueretur Majeſtas utiq; nullo modo aliis poſſet præſcribere leges. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ, & ſatis de cauſa efficiente, ſeu ipſo legislatore.

§. VII.

§. VII.

Seqvitur Materia Reconventionis vel circa qvod objectum reconventio occupata eſt. Omnes autem cauſæ admittunt Reconventionem, etiam ſummariæ *Clem. ſæpè de V. S.* Excipiunt tamen cauſas Electionis, alimentorum, ſpolii, Depoſiti, Mandati ſine clauſula, & ſimiles, qvæ citam expeditionem poſtulant. *Molignat: qv:* 11. de Reconventione. Cauſa ſpolii Reconventionem non admittit, non ſolum eam ob cauſam, qvod ea celerem expeditionem reqvirat, ſed ei, qvi ſpoliationem paſſus eſt, ante omnia bona ſua reſtituenda ſunt. Aliud tamen eſt dicendum ſi ipſe reus actionem inſtituat de ſpolio ab Actore commiſſo in re non eadem ſed diverſa, vid. Meichſn: *Tom. 3: dec 13: N: 241.* His cauſis annumerantur inſtrumenta gvarentigionata recognita, qvæ executionem inferunt paratam Molignat: *d. qv. 41.* ſimili modo & ille qvi relaxationem arreſti petit, oblata cautione de ſtando juri, & judicato præſtando, reconveniri neqvit; qvia non eſt judicium ſed præparatio ad judicium. vid Wammeſ. *Vol: 1: Conſ: 72: n: 2 & 3.* Excepta eſt cauſa depoſiti ſcilcet confeſſi, nulla enim datur exceptio, ergo nec reconventio. Si verò cauſa Reconventionis ordinariam & pleniorem Cauſæ cognitionem deſideraret, ad multorum opinionem tenetur ſtare qvidem coram eodem judice, ſed non pari paſſu ambulat, niſi conſentiente utraqve parte, *Vid. Brunnem: Proc: Civ: 10: 8: & qvæ d: l: allegat Dd:* Illæ præterea cauſæ reconventionem non admittunt, qvæ respuunt prorogationem, & qvæ regulariter cognitioni judicis ordinarii ſunt exem-

ptæ

ptæ: ut cauſæ Criminales, Matrimoniales, & Feudales, *Brunnem: d: l:* Nam nemini licitum eſt jus dicere extra ſuam jurisdictionem; licet judex conventionis certam ac limitatam jurisdictionem habens ſuper Reconventione amplioris ſummæ ferre ſententiam poſſit. Denique Jure Romano criminaliter conventus Criminaliter accuſatorem reconvenire neqvit, *per L: 5. ff: de publ: judic.* niſi accuſatus ſuorum injuriam accuſando vindicet, vel ſi ex reaccuſatione oriatur exceptio peremptoria, ſi de crimine majori, aut præjudiciali, ſi crimen connexum, vel ſi tantum reconventionem incipere affectet, non perſeqvi, vel ſi tantum denunciet, per *l: 1: & 19. Cod. de Accuſat:* Imo ne civiliter qvidem reconvenire accuſatorem poteſt accuſatus. *Arg: leg: fin: Cod. de: Ordin: judic:* Hoc ſane jure noſtro in multis etiam obſervatur. Ceterum cautè attendendum Actori, ut & hoc moneamus, Num actio in judicium deducta ita comparata, ut Reconventionem non admittat, vel ſi admittat, annon cauſa in Reconventionis judicio ventilanda, ad privilegiatū forum attineat & ita præſentis judicis cognitioni adempta. vel ſi accidere poteſt cauſam privilegiatā non eſſe, obſervet, ſcilicet Actor, an cauſa conventionis ſit ſummaria & cauſa reconventionis ordinaria: hac enim ab Actore admiſſa beneficium ſumarii proceſſus perdit, qvare petat hoc caſu, ut ſegregata cauſa reconventionis, tanquam ordinaria in ſola conventione, tanqvam ſummaria procedatur. Brunnem *d: cap: 10. N: 8, Sam: Stryk Introd. ad Prax: for. cap: 14. n: 4:* Coram arbitris obſervandum eſt reconventionem locum non habere; cum arbitri judicare non poſſunt, niſi de his tantum ſuper qvibus in eos extitit com-

pro-

promiſſum. Qvod tamen accipi velimus de arbitris, communi conſenſu partium datis; ſecus eſt in arbitrio judicis, neceſſitate ſtatuti electo, qvi ordinariam jurisdictionem habet â lege. vid. *Joh: Zanger. de Except: cap: 1: n: 377.*

§. VIII.

Qvamqvam in ſuperioribus nonnihil actum ſit de obſervantia juris ſaxonici, qva conventionem, non pigebit tamen illam pluribus hic illuſtrare, & videre primum, an reconventio locum habeat in jure ſaxonico? hanc qvæſtionem negativam agnoſcit Carpzovius d: tr: Def: VII. ubi diſertis verbis dicit: ſi qvis aliqvem conveniat & reus viciſſim Actorem reconvenire intendat, Actorem non teneri reſpondere libello reconventionis, niſi prius ab actione inſtituta reus ſe expedierit; Sed Actor coram eodem judice rei conventi reſpondere qvidem teneatur, petitioni mutuæ, ſed finita demum actione; Nam non pari paſſu judicii coram eodem judice, conventio & reconventio ſimul exerceatur, & terminetur. In foro tamen ſaxonico admittitur qvidem reconventio, ex interpretatione juris ſaxonici, non veroverbis expreſſis, ut patet ex *art: 61: in: pr: lib: 1:* Landrecht. Deindè reqviritur ut ſint cauſæ, in qvibus admittitur reconventio, connexæ & qvidem poſt conventionem demũ finitam & diſcuſſam Cauſæ connexæ dicuntur, qvarum una ex altera originem trahit, ſeu ab invicem dependent, qvæve ex eadem ſpecie contractus, vel ex eodem inſtrumento ac fundamento naſcuntur. ſunt tales contractus, ex qvibus duplex actio Directa, & contraria oritur. Verbi cauſa, Commodati, Pignoris, Depoſiti, Mandati, Tutelæ, Locati

cati item & Conducti, Empti & Venditi. Nam ſi actione directa in judicio agatur, contraria actio in modum reconventionis, anteqvam directa ad finem eſſet perducta, intentari non poteſt. Itaque non licet jure Saxonico reconventionis cauſam ſtatim in primordio litis proponere & una cum cauſa conventionis decidere; ſed demum, ut ante dictum, poſt finitam & diſcuſſam conventionem. Idq; non ſolum obſervatur in Provinciis Electoratus Saxonici, teſte Carpzovio; Sed etiam iis in locis, qvæ extra territorium Electoralis ac Ducatuum Saxoniæ ſunt.

§. IX.

Abſolutis breviter, pro modulo ingenii, & ratione inſtituti, cauſis Efficiente & Materia, reſtat enodare formam reconventionis proceſſus, qvam jam aggredimur. Reconventio igitur ſtatim inſtituenda eſt ante litis conteſtationem, vel una cum ipſa movenda, ſi plenario effectu gaudere debeat. Sic hodie ut lis in primo termino conteſtanda, ita primo termino reconventio inſtituenda eſt. Poſtea ſi opponatur, habet qvidem privilegium prorogationis judicis, ſed non ſimultanei proceſſus, qvæ ſententia, communis, ita in *Cam: ordin: part: 3. Tit. 30.* recepta, vid. Blum: *Proc: tit. 40. §. 22.* Moribus vero noſtris, ſi poſt litem conteſtatam opponatur, non puto illam tam apud eundem Judicem, ſcilicet rei agitari finiriqve ſolere, qvam remitti ad forum competens, ſeu judicem Actoris. Nihilominus ſunt qvi exiſtimant etiam poſt litem conteſtatam, imo in appellationis inſtantia eam eſſe permiſſam, vid Mevius *P: 5. Dec 316.* Ceterũ modus inſtituendi reconventionem hic eſſe poteſt; Reus anteqvam litem conteſtetur, reconventionem

per

per modum libelli prius proponat, hoc facto, ſubjiciatur litis conteſtatio; Deinde contra litis conteſtationem rei, actor replicet, poſteaqve exceptionem contra reconventionem ſubjungat. Sic enim per vices utraque cauſa agitatur, donec tandem una ſententia, utriqve finis imponatur: niſi uni cauſæ forte aliqvod periculum moræ inſit, qvomodo conjungi neqveunt, Vid. *Perez. d: tr: n. 23.* licet autem tum reo, tum actori ſatisdationem poſtulare. *(vid. Carpzov. d. tr. part. 1. Conſt. 5. defin. 24.)* de ſtando in judicio & ſumptibus litis: qvanqvam reconventionis reconventio non datur; cum Actor in primordio litis eas actiones qvas ſibi competere ſcivit, non intentaverit, idqve tamen potuiſſet. Sed hoc Jurisconſulti ita limitant, niſi poſterior reconventio ex præcedenti ſit orta, eique connexa, verbi gratia, convenio te ex mutuo, tu me ob vulnerationem reconvenis, ego te convenio ob vim ædibus illatam. Vel convenio te actione locati, tu me convenis actione commodati directa, ego te contraria.

§. X.

Agmen Cauſarum qvaternarum claudit ipſa finalis Noſtri itaque inſtituti eſt inqvirere, ob qvem finem reconventio introducta ſit. Reſpondemus autem paucis, hunc finem eſſe bonum publicum, qvod in eo conſiſtit, qvod lites ſimultaneo proceſſu facilius abſolvantur, minoriqve ſumptu decurrant, Perez. *d: tr. n: 23.* Unde non videmus favorem qvoque rei non hoc comprehendi; cum bonum illud publicum, ad omnia membra ſocietatis ſe diffundat, hicque non parum ſublevetur, cum contraria actione in eodem judicio, ab actore, qvod ſibi debetur, poſſit petere.

CAPUT SECUNDUM.

§. I.

Jam ad effectum & remedia reconventionis accedamus. Sciendum est, Reconventionem sive mutuam petitionem fovere effectum duplicem: 1. Qvod Actorem jurisdictioni judicis Rei subjiciat, *l. 14. Cod. de sent. & interloc. omn. jud.* 2. Qvod & causa conventionis & reconventionis uno processu, & unâ expedienda sit sententiâ, cap. 1. & 2. X. *de mut. pet.* qvæ qvidem dicitur una respectu materiæ in qva, scripturæ & continuitatis, sed tamen revera duplex est, respectu materiæ circa qvam, ideoque primo ferenda est sententia in causa Actoris, postmodum in causa rei. Est & alius Effectus Reconventionis, ut si Actor nolit Reconventioni respondere, possit ei audientia denegari, si scilicet suo nomine agat. Nam præcisè compellendus non est, si non tantum instantiæ, sed etiam actioni & liti plane renunciare velit, qvod ei licet, arg: *L. 4. Cod. de Pact.* Aliud enim est renunciare instantiæ, qvæ renunciatio non est concessa *Auth. Qui semel Cod. Qvomodo & qvando.* aliud renunciare causæ & actioni, qvod regulariter est permissum; & hoc in casu intercidit ipsa reconventio.

§. II.

Sed cum Reconventionibus multi hodie abuti solent, ad protrahendam litem, & undiqve actiones sibi comparandas, litesqve redimendas, ut Actori negotium faceſſant, ideo de remediis investigandum. *Primum* est, ut Reconventio plane tollatur, nisi qvoad effectum primum, seu prorogativum, & qvidem in causis connexis vel ex una origine dimanantibus; hæ qvippe non

commodè qvidem poſſunt ſeparari, ſed rectiſſime alias judicio conjunguntur, non tamen ſimul agitandæ ventilandæque heic cum prima lite puta conventione; niſi in mora periculum, animæ vel vitæ, vel fortunarum ſubſit. *Alterum* eſt, ut Reconventio qvoad ſimultaneum proceſſum poſſit â judice, ſi velit, denegari ad confuſionem vitandam, niſi in cauſis connexis & cognatis, ubi una actio, ex alia lucem accipit, in qvam ſententiam multi Excellentiſſimi jurisperiti tranſeunt. licet videri poſſit hoc, juri communi ſcilicet *Romano* & *Canonico*, contrariari, cum textus juris communis ſint generales, in *L. 1. §. ult. ff. qvæ ſent. ſine appel. & C. 1. X. de mut. petit.* jure tamen Municipali, teſte *Brunnem. d. tr. n. 17.* ſalubriter ita ſtatui poteſt. *Tertium*, ut Reconvenienti juramentum calumniæ injungatur. *Qvartum*, ſi reconveniens in ſua reconventione probanda moras nectat, & Actor ſuam intentionem probaverit, poſſunt hæ cauſæ ſeparari, & in cauſa conventionis prius ſententia ferri. *Qvintum* Remedium eſt, ut ipſe Reconventurus teneatur offerre ſtatim in judicio documenta & probatoria in duplo, qvorum unum reponatur in judicio, alterum Actori Reconvento tradatur; ut per Reconventionem actio prior non retardetur, & pari paſſu uterqꝫ proceſſus ambulet. Ulterius progredi fas eſſet, ſed hac vice hæc, pro modulo ingenii elaborata, videntur poſſe ſufficere, ideoqꝫ operi noſtri finem imponimus, hunc qualemcunqꝫ ingenii fœtum Candidi Lectoris benevolæ Cenſuræ commendantes, enixe juxta ſollicitantes, menda graviora corrigat, leviora autem mitius interpretetur, & ſi qvædam minus ad palatum ſunt, æqvi bonique conſulere velit.

SOLI DEO GLORIA.

Ad VIRUM-JUVENEM

Tum morum ſuavitate multâ, tum doctrinæ gloriâ uberiori apprimè commendabilem,

DN. LIBORIUM L. BAUMGARDT/

Dum

Diſputationem Juridicam de RECONVENTIONE proprio marte doctè elaboratam, ſolertiſſime defendebat,

GRATULATIO:

Caſtalio ſacrate choro, Juvenum peramœne
Dulcis amor BAUMGARDT/ charitum tu portio magna,
Pierio vegetam ſic immerſiſſe liqvori
Mentem rite juvat: Nunc carpis præmia digna
Palladis atqve tenes, heic ſumma palatia Phœbi,
Montesqve Aonios tibi pandit amica Minerva.
Mellito reſonare falcis ſermone Lyceum,
Juſtitiæqve doces fontes te hauſiſſe peramplos,
Doctaqve Juridicæ penetraſſe ſacraria Divæ.
Nunc potes arcanos legum proponere ſenſus
Sic Themis eximios propius tibi ſpondet honores!
Hinc numeroſa manet te laus. Eſt ille beatus
Qvem ſic incolumem ducit reverentia famæ,
dum ratio tempusqve ſinunt & flexilis ætas
Incitat! Excelſæ plectant tua ſerta ſorores!
Hic labor, hocce decus ſemper virtuſqve manebunt.
Perge bonis avibus, tua cœpta ſecundet ab alto
Omnipotens Dominus, cui te commendo! valeto!

Ita ſincerè vovet T.

J. MOLLIN.

VIRO-JUVENI

Artium liberalium culturâ, morumq́ elegantia politiſſimo,

DN. LIBORIO BAUMGARDT/

Sympatriotæ & Amico ſincerè dilecto!

QVam difficile ſit aſcenſuro ad culmen honoris, multis perſequi ſuperv acaneũ, cum nihil frequentius oculis noſtris oberret, quam multitudo exemplorũ aberrantium, qui cum per ſpinoſum Muſarũ tramitem ſubito evaderent, in mane! quam parum proficiant. Taceo nunc hos, qvibus fortuna itineris hujus neceſſaria denegare auſa, qvorum qvoq; tanta ſæpè egeſtas, ut cum medium aut certè partem ejusdem benè multam emenſi ſint, cum nauſea tamen, licet inviti gradum ſiſtere, fructumq; laboris, ſtatuto alias tempore ad maturitatem perventurum, in ipſo flore intempeſtivè carpere coguntur. Illos autem dico, in qvos & natura & fortuna nullum non contulit donum, adeò ut qvamvis omnibus inſtructi, recta procedere poſſent, qvibusvis nihilominus voluptatum illecebris, non aliter ac illicibus in devia pelliciuntur, abripiuntur, trahuntur; ubi (illorum inſtar, qvos Sirenes cantus ſui jucunditate allectos devorant) turbidis affectuum fluctibus acti, ſtimulis conſcientiæ ſaucii, lacerati, omni tandem calamitate mactati, ad orcum qvaſi miſerè deprimuntur. O Felices, qvos horum pericula fecere cautos! Felix ergo & Tu Politiſſime **Baumgardt** es, qvi bono in propoſito adeò conſtans perſtitiſti, in ſtudiis tam aſſiduus, in lucubrationibus tam impiger fuiſti, ut nihil minus qvam aures ſvaſui eorum, qvi à recta ſemita Te ſeducere ſatagerent, præbueris: Scilicet, maturo ſicut judicio perpendiſti, qvod qvæ ſunt laborioſa juventuti ſtudia, hæc ſunt jucunda Senectuti otia: ita forti ac intrepido animo difficilia qvævis tentaſti; Imo qvod eadẽ haud leviter ſuperaveris, opere hoc de Reconventione, *feſtino licet calamo,*

de-

doctè tamen ac egregiè elaborato, luculenter demonſtras: cæteram omnibus Eruditis tanto hocce Charius erit, quanto majorem materia redolet utilitatem, compoſitionisqve elegantia, clariori ſplendore radiat fulgetq;. Nunc itaqve mi **Baumgardt**/ *in hoc juventutis vere, floridas & frugiferas ingenii herbas protrudere ne ceſſes, qvo idem qvi hucusqve incrementum largitus eſt DEUS, nec ceſſabit proporrò rore benedictionis tingere, imbriqve Scientiæ Temet aſpergere atq; rigare!*

Sic animitus voveo qui tibi profectus hoſce ſincero etiam animo gratulor

NICOLAUS PETRIIN,
Reg. Stip.

VIRO-JUVENI
Pereximio atque Præſtantiſſimo,

DN. LIBORIO BAUMGARDT/

De RECONVENTIONE doctè differenti, amico meo ut fideliſſimo, ita dilectiſſimo.

Egregium linqvis Diſcurſum Marte benigno,
A te ſcriptum, nunc ingenii ſpecimen
Præclarum monſtras, tibi qvod chariſſime amice
Fauſtè ſuccedat Mente pia voveo!
Te Muſas luſtraſſe doces coluiſſeqve Doctas,
Namqve vigil fueras nocte dieqve ſimul,
Gratulor ergo tuis, mi dilectiſſime **Baumgardt**
Auſibus, atqve precor plurima fauſta tibi!
In laudem Patriæ vivas capiantqve Parentes
Omnes atqve tui gaudia mille nova!
Sydere nunc abeas dextro lareſqve prehendas
incolumes voveo! tu loca grata premas!

Tuus ſincerus amicus
JOH: BARCK.

Ingenio & moribus multum conſpicuo

Juveni

Dn. LIBORIO BAUMGARDT/

Fautori & amico ſuo ſincere colendo.

Dum ſuam de Reconventione *egregie conſcriptam diſſertationem defenderet.*

Hoc Syllogismo

Inclyta cui virtus ſocia eſt, & amabilis hoſpes
Hunc comitatur honos, manet hunc ſua gloria ſemper,
Hanc qvod ſis ſemper comitatus Docte LIBORI,
Id ſatis oſtendit tua Diſſertatio præſens.
Te manet hinc ideo tua laus & gloria digna.
Id reputans dextrè non poſſum qvin tibi grater,
Et ſimul ex animo ſupremum Numen adorem,
Semper felix ut Muſis incumbere poſſis
Grata DEO, patriæ & qvo commoda plurima præſtes!!!

Affectu qvam verbis prolixius gratulabatur

ANDREAS RÖDING.

Pereximie Domine Studioſe Præceptor honorande!!!

Præceps Muſarum culmen eſſe, quod Poëtæ etiam finxere ingentibus eſſe obſeſſum lapidibus neminem latet, ideoq; impoſſibile eſt ei, qui conatur aſcendere, eò pervenire niſi perpolitus ſit doctâ Minervâ. Hoc autem commento demonſtrare voluntillos honore eſſe dignos, qui in ſtudiis fecere profectum laudabilem & ingenue eqvidem fateor inter hos, Te, Chariſſime Præceptor nomen tuum merito profiteri; nam Diſſertatio Tua docta proprio Marte elaborata ſatis id ipſum declarat. Verum cum tenuiſſima mea crena laudes Tuas, prout meritus es, extollere aut decantare non poteſt; gratias Tibi tamen ago habeoqve quas unqvam poſſum, maximas, ob vitam hic actam honeſtiſſimam, ob informationem fideliſſimam, ob morum inſtitutionem, correctionemq; amantiſſimam. I nunc pede fauſto, qvò fata & virtus tua elogiis digniſſima Te ducat; gratulentur Tibi & ſibi Parentes Clariſſimi, cognatiq; dilectiſſimi; gratulor & mihi ipſi, qvod talem Præceptorem, virtutibus & eruditione conſpicuum nactus ſim habuiqve. Vale.

Ita Præceptori fideliſſimo officii debiti declarandi ergo Diſcipulus

ALEXANDER ALFTANUS,
Tawaſt,